



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

17. Exemplum innocentis à diabolo insessæ fæminæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Qua causa est, ut saepe bimuli, trimulie & ubera materna lacten-
 tes, à dæmonio corripantur? Inuisibilia hæc, inscribibili Altissimi
 indicio sunt relinquenda. 2. Et si de eo, quod plerumque fit, lo-
 quens, S. Augustinus dicat: *Potestas inimica vincit aut subiugat*
neminem, nisi societate peccati; potest tamen ea potestas etiam
 ob alienam culpam concedi. Cum enim in bonis, quæ quis
 possidet, queat puniri, possunt etiam ipsi homines nonnulli
 aliorum bona censerì, ut sunt serui dominorum, filij paren-
 tum. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniqui-*
tatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum,
qui oderunt me. Quanta sunt sæpe parentum scelera, quorum
 castigatio in filijs, quid mirum est, si cernatur? 3. Num Deus
 iniustus fuit, quando permittit à dæmone Iobum cædi? At Iob
 vir rectus & innocens fuit? Sic magnæ immo maioris præbuit
 patientiæ exemplum. Ob eandem causam potest diuina pro-
 uidentia permittere, ut alij penitus à dæmone infideantur. 4.
 Potest etiam hæc plaga scutum esse contra peccatum: quam-
 obrem refert Sulpitius, Eremitam quendam à Deo postulasse,
 & impetrasse, ut per menses aliquot eius corpus ab inhabitante
 dæmonio affligeretur, ob periculum peccati superbiæ. Cog-
 nouit profecto vir pius, addit Thyraus, *non semper præteritis &*
commisus peccatis tribui dæmonum torturam, sed quandoque ad-
mitti, ne in peccata homines incidant, Deumq; offendant. 5. Fa-
 ciunt huc etiam reliquæ diuinæ prouidentie causæ, de agnitio-
 ne spirituum, & infernalium tormentorum; de peccati dete-
 ctatione, quæ inde hauriri potest. Quibus adde, hinc multos
 sanctos innotuisse, qui potestate diuinitus accepta dæmones
 eiecerunt; hinc Euangelium fuisse confirmatum; hinc crucis
 formandæ vim intellectam; hinc usum aquæ benedictæ appro-
 batum; hinc sacramentorum baptismi, confessionis, & Eu-
 charistiæ virtutem illustratam; quibus omnibus prædictus au-
 thor, alijque scriptores, dæmonem celsisse docuerunt. Esto
 igitur faciat ex obsessis monstra monstrosus ille habitator, non
 facit id, sine iusti Dei permisso, non sine prouidentia, non si-
 ne causa, non sine mille emolumentis.

de dormit.
 Blesilla.
 S. Augustin.
 lib. 10. de ci-
 uit. c. 22.

Exod. 20 5

Salpit. in vita
 S. Martini
 dial. 1.
 Petr. Thyrae.
 p. 2. de dæ-
 mon. c. 31.

Hoc pacto consolatus est S. Cuthbertus præfectum Eg-
 fridi

XVII

PPPPP 2

Ven. Bedæ in
vita S. Cuth-
berti c. 15.

fridi regis Hildmer nomine, cuius uxor cum elemosinis & ce-
teris virtutum fructibus esset intenta, subito correpta à damone
acerrimè cœpit vexari, ita ut stridendo dentibus, voces miserabiles
emittendo, brachia vel cetera corporis sui in diuersa raptando, non
minimè cunctis intuentibus vel audientibus incuteret horrorem. Ea
ita iacente, maritus concitato equo Cuthbertū adiit, reque ipsa
cælata, ab eo petijt sacerdotē. At Cuthbertus ad orandum se-
cedens diuinitus didicit rei veritatem. Reuersusq; ad eum, Non
inquit, aliū mittere, sed ipse ad uisitandam eam tecum pergere de-
beo. Cumq; agerent iter, cœpit flere homo, & dolorem cordis pro-
fluentibus in maxillam prodere lachrymis. Timebat enim, ne cum
eam demoniosam inueniret, arbitrari inciperet, quia non integra
Domino, sed fida fide seruisset. Quem vir Domini blandè consola-
tus, Noli, inquit, plorare, quasi inuenturus sim coniugentiam,
qualem non uelim. Scio enim ipse, quamuis te dicere pudeat, quia
demonio vexatur: scio etiam quia priusquam eò peruenerimus, fu-
gato demonio liberabitur, ac nobis aduenientibus cum gaudio occur-
rens, has ipsa habenas sanissima mento excipiet, nosq; intrare citi-
us obsecrans, ministerium quod consueuerat, nobis sedula impendet.
Neque enim tali tormento soli subijciuntur mali, sed occulto Dei iu-
dicio aliquoties etiam innocentes in hoc saculo, non tantum corpore,
sed & mente captiuantur à diabolo. Hæc ille, quæ clarè osten-
dunt, energumenos, de quorum scelere nihil constat, non esse
se temerè, tanquam sceleratos, iudicandos; sed sæpe ad San-
ctorum gloriam, à quibus liberantur, alijsq; occultis Dei iu-
dicijs, cruciari. Neque enim vnica tantum Deo est rerum per-
mittendarum causa. Noui hominem in suis oculis magnum,
qui ausus est alium nō solum apud ceteros differre, verum eti-
am manifestò persequi, quòd audisset, eum à dæmone vexatū.
Idem, credo, fecisset Iobo, si cum illo uixisset. O quam iusta
sunt iudicia Dei! Nam hic ipse, eodem vexationis genere, per
eiusdem spiritus ministerium, paria passus est: sed non paria de
se iudicauit. Quia enim non uidemus mantica, quod in tergo est,
sibi ipse ignouit, immò laudi duxit, quod in altero censuit esse
iudicium improbitatis.

CAPVT